

ERS

Solv.

Kobi.

dis

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



V. Temp. 10 991

Wd. 82.



Contenta hujus Libri

1. Meinders. Dissertatio de jure Colonario et Curij Dominica:
Lily Veterum Francorum et Saxonum —
2. Epp. Tractatus Historico-politico-juridicus de progressu
naturae ac moderno statu nobilitatis et servitutis in
Germania Westphalia. Mem de Homines Proprijs Sive
de jure Colonario Vulgo Saum eigenthumbt wasst in
westphalen.
3. Vindicia Libertatis antiquae Saxonicae Sive Westphalicae
contra Illustrem Dominum Rhetium et Coecium.
4. Kustneri Tractatus de mensura et Annali prescriptio
Literarum Cambialium.
5. Gerhardi Tractatus Juridica de Regula Juris Germanici
Kurist geset laut mittel.
6. De Goebel de jure Venandi Diatriba.
7. Bornij de ararium. Sive Tractatus politicus de araris Sacris,
Civilibus, militari, Communi, et Sacratiori.
8. Werthoff Disputatio de alienatione et concessione
jurium quae vocari solent Regalia.
9. Wijnen Dissertatio de Evictionibus.
10. Rotger Dissertatio de Clausulis Juridicis.
11. Cramer Disputatio de Impossibili possessione in rem
Traditione Symbolica.
12. Hahnij Jus in Ordine.
13. Pagenstecher Disputatio de bono viro.
14. ab Haren Disputatio de Interventione.
15. Osij Propositiones Juridicae de Appellationibus.
16. Budde de jure Compascui.
17. Braun Theses Juridicae ex utroque jure Selectae.
18. Hermes de usuris et mora.

19. Dissertatio Juridica De eo quod iustum est circa Diem.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



No 4957

DISPUTATIO ORDINARIA

DE

18.

78

VSVRIS
ET MORA

TAM EX IVRE CIVILI,
quam Canonico, desum-
pta.

QVAM

DIVINA, FAVENTE GRA-
tia, auxilio, Deiparæ Virginis.

Sub Prasidio Nobilis Clariss. & Consultiss. Viri & D.

HERMANNI HERMES, SS. LL. LICENTIATI,
Serenissimi Archi-Electoris, Curia, Officialis, assessoris
Facultatis, Iuridicæ, Dictatoris dignissimi.

IN CELEBERRIMO ET PERANTIQVO
Vbiorum Iuridico Auditorio.

Publico certamini discutiendam perhibet

HENRICVS MEYER MONASTERIO
Westphalus. Anno restauratæ Salutis
1649. loco & hora consueta ad diem
4. Martij.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat GISBERTVS CLEMENS, Anno 1649.

13 18

PRÆNOBILIBVS, NOBILIBVS, AMPLISSIMIS,
& Consultissimis DD.

HENRICO HERDINCK, EX HILTROP
ET

IOANNI TIMMERCHEIDT, I. V. L. COSS.

Necnon Senatui civitatis Monasteriensis, universo,
sapientissimo, & dignissimo, Dominis suis
omni observantia Colendissimis.



Ecce dixit Romanus Orator, nihil charius in vitâ patriâ esse debere, ad eiusq; salutem omnia, quæ à nobis geruntur, conferri oportere, quæ causa mihi fuit, ut vestro honori, & gloria, qui Monasteriensi Reipubl. patriæ meæ, hoc præsertim tempore, tanquam in orbis theatro, tam laudabiliter præsidetis, hæc meas ex iure civili primitiarum positiones, quando aliud nunc non licuit, vobis inscribendas putarem, tum ut vobis honorem qualemcunq; exhibendo, non ingratum me patriæ, cuius vos patres agnosco, membrum ostenderem, tum etiam ut quem fructum ex honestarum artium studiis perciperem, eundem quoque patriæ & vobis libens volens prælibandum offerrem. Accessit deinde longa maiorum meorum series, qui eodem quo vos nunc, honore conspicui, sese Reipublicæ præclare impenderunt, quia proinde in vobis quandam quasi imaginem intueor, merito excitator, ut piis illorum manibus, quali quali obsequio non degener Nepos parentem. At, quid cum V S U R I S Reipubl. Nostræ? à quâ cum vitia omnia, tum illud imprimis vestrâ providentiâ quam longissimè abest, mala quoque discimus, non ut faciamus sed fugiamus, sic vel hoc ipsum honorificum putavi dicare vobis, cuius scientiâ instructissimi, Rempublicam incolumem hætenus præstatis Accipite ergo quo soletis vultu, & animo, à cliente imo & filio vestro hoc grati animi, in nemo synon, meque ut talem; nam liberè id profiteor, fovete, & diu feliciter imperate.

VV. DD.

Obsequentissimus servus & eliens
HENRICUS MEYER
Monasterio Westph.

Augustissimam, hanc celeberrimamque non minus in foro poli, ac civili de usuris materiam aggressuri opera & pretium existimavimus, disputatiunculam nostram omni meliori modo, in partes hasce subsequentes transigere veniam merituri, ut spero, si expectationi minime satisfecerimus.

THESIS I.

Videamus primo num usura, quæ est pretium usus (a) licita sit, quod nisi apertissime constet, frustra in nobilissimam hanc materiam descendimus, placet igitur usuram tam naturali, (b) quam divino, (c) tam civili, (d) quam canonico iure, (e) absolute, (f) licitam, permissamque esse.

(a) æquabilis scilicet & congrua de ære alieno compensatio l. 42. §. 2. ff. solut. matr. l. 29. §. 2. ff. de edil. Edic. l. 23. de pigno. acti quibus adde Carol. Moli. Tract. de usu & red. num. 531. dicit enim per analogiam elegantem, quemadmodum ad commutationem rerum, necessaria fuit numini inventio, probat hoc idem post Arist. poli l. 1. c. 6. IC. l. 1. de contrahenda emptio nec dissent. Gail. in l. 3. de eo quod cert. lo. ut negotiationes feliciter expediri possint, necessariam esse quandam pro rei qualitate, & conditione usuram fatetur, quamvis huic obstet Bacho. hic ad Treu. in Th. 1. l. f. (b) per l. nam hoc de condict. indebit. l. 1. §. 11. de acquir. plu. non enim officium humanitatis, cuiusdam damnosum esse debet, certum & hoc est ut eum sequantur commoda qui incommoda sentit, arg. l. secundum naturam ff. de R. I. posset alias evenire, ut creditor locupletaretur cum alterius jactura, contra l. 206 ff. de reg. ju. & l. 14. de condict. indebi. confirmatur hoc inde, quod usuræ naturaliter, ex pacto deberi dicantur l. 5. §. imp. de solu. & licet nullum sentiat lucrum, debitor præstabit adhuc usuras cum casus fortuitus non creditori, sed debitori nocere expeditum sit l. 11. Co. si cert. pet. l. 33. hic. vide Borcholt. qui hosce textus præceptum aureum nominat, licet quidam usuras indistinctè tanquam pestes Reip. exterminandas censeant, quæ damno afficiunt proximum, cha-

ritatemque lædunt, *Exo. 21. vers. 25. Lev. 25. vers. 32. Deut. 15. pr. Prov. 28. Gail. 2. obs. num. 5.* accedit *Arist. 1. polit. Cic. qui ex sententia Catonis, dicit fœnorari esse occidere & fœnus, quasi funus esse, (c) ut videre est ex dicto Apost. 2. Cor. 8. & Matth. 22. Moli. n. 9. Donell. cap. 1. n. 2.* nihilque obstat *Luc 6* ubi dicit mutuam dantes nihil inde sperantes, ut non inscitè ostendit *Donell.* (d) statuit enim *Iustinianus* usuris certum modum, quod utiq; non fecisset, si eas exerceri non voluisset, ut satis patet & *Novell 32. 72. 121. 131. 160. 138.* quin hoc casu *Reipub.* rem utilissimam fecisse constat, cum hoc depravato ævo ita comparati homines sint, ut extra commodum alterius, commoda promovere nolint, (e) probat hoc *cap. 1. & 2. ext. de usur. cap. 8. & 9.* ubi tantum fœnus, & turpe lucrum prohibetur, unde facile concludi poterit, usuram terminum non excedentem, quæque debitoris justum interesse compensat, licitam esse cum nullibi vetita & prohibita reperitur *per ca. 1. & 2. de nov. oper. l. sancimus 27. Co. de testa s. præcipimus. Co. de appella.* (f) jure civili enim permittitur quatenus fines præscriptos non egreditur, *Iure Canon* si tendat ad creditoris interesse congrue compensandum, *jure divino* in quantum damno non afficiunt proximum, nec *charitas* ejus dilectione offenditur.

THESIS II.

Usura autem hoc in proposito, (a) nihil aliud est, quam ad quantitatem ex quacunque alia causa accessio, (b) eamque usuram in specie, (c) definire volumus, vel fœnus quod quæstuosum est. (d)

(a) diversis enim significationibus hoc nomen subjectum est, quandoque pro eo quod ex usu provenit appellatur *l. 17. §. 1. hoc tit. testatur hoc Cicero* usuram lucis, usuram vitæ temporis, usuram pro usu istarum rerum dicens, *li. 1. Tuscula quæst. & in veri §. Donell. in tract. de usu. cap. 1. Franc. Hottom. in disp. de usu. c. 1. n. 30. Plautus in Amph.* usuram corporis uxoremque ulurariam, quæ corporis sui quæstum præbet, accipit, nonnunquam pro familiaritate & conversatione quandoque etiam pro ipsomet rei usu ab utendo *per l. 60. ff. pro socio (b) arg. l. 87. §. 1. de leg. 2. l. 17. §. 4. l. 32. §. 2. hoc tit. l. 2. Cod. de posi.* etiam in pecunia mutua, *l. 40. si cert. pet. (c) Duare. Franc. Hottom. quib. adde. Cujac. in tract. de usu. pr. (d) tot. tit. de Nautico fœnere & ibi Cujac. Duar. Hottom. caterique omnes.*

THESIS

THESIS III.

Habet & usura tres species, lucratoriam, (a) compensato-
riam, (b) punitoriam, (c) neque parum differt à fœnore, fœ-
nus enim est accessio ad sortem creditam, (d) usura autem
ut dictum supra accessio ex quacunque causa.

(c) *Vvesenb. in para. de usu. per l. 18. ff. de pac. l. 11. §. si tibi de reb. cre. Moli. in tract. de usur. dum dicit lucratoriam eam esse, quæ ex mero mutuacionis officio contra naturam contractus lucrum facit, hancque tam divino quam naturali tam civili, quam Canonico jure, prohibitam l. impro-
bum Co. quibus cau. sinfa. vide Plutarch. in li. de non fœnorando quia est contra officium quod gratis erat præstandum l. si de condict. ob turp. caus. deinde pugnat expressè contra naturam mutui, quod debet esse gratuitum, & paria paribus reddere §. 1. l. si tibi huc accedit quod quærendum non sit lucrum ea ex re, cujus damnum, aut periculum, ad nos mi-
nime spectat l. si unus 67. §. 1. l. si igitur 55. pro socio pecuniæ enim creditæ periculum pertinet ad debitorem, quod satis probat, l. incendium Co. si cert. pet. & §. instit. quib. modis re contrah. oblig. (b) hæc enim nullibi inter-
dicta reperitur, cum in univèrsum aut turpè esse dici non potest, adeo-
que officio contrarium non est sic alterum juvare ut te ipsum indem-
nem serves l. sed si quis ex signa ff. quemadm. test. aper. l. sancimus 20. Cod. de administ. tuto. itaque si quæstum certum facere potuisti (non autem ter-
minos excedentem) pecuniâ, quam mutuo das, aut ea propter dam-
num incurris, non est iniquum ejus rationem haberi, cum nemo alteri suo cum detrimento benigne facere cogatur l. 1. §. iidem ajunt, §. de opere & seqq. de acqui. plu. arc. (c) quia à parte creditoris præsumitur dam-
num (interesse vulgo nominant) quod facit quia sua diu, loco aut tem-
pore, cõstituto, pecunia non solvitur, à parte debitoris mora fit, meri-
to punitur, delictum enim esse videtur l. dolus 44. ubi gloss. sin. mandati prospicit itaque licitè sibi creditor pœnali aut usurarum stipulatione
l. stipul. §. alteri de V. O. §. omnis insti. de V. O. quæ succedit loco ejus quod interest, l. si in fin. de pratoris stipu. imo ipsa lex succurrit cum à tempore
more legitimas usuras hoc est semisses præstari jubet, l. eos 26. Co. de usu. ex quo autem inquit usuras non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium infligi l. cum quidam §. si pupillo hoc tit. (d) hoc statim à tempore contractus, etsi creditoris nihil interfit, cur-
rere incipit, ideoque merum lucrum est, l. 9. §. 1. l. 17. ff. de usu. Hottom.*

pag. 7. Vult. Iur. prud. 44. n. 87. & l. 13. §. 1. hoc tit. l. 67. §. 1. pro socio l. 11. & seq. de compensa. l. 8. in quibus caus. tac. pign. l. 34. si cert. pet.

THESIS IV.

Dividitur fœnus in nauticum proprium vel terrestre improprium, fœnus nauticum (a) proprium, dicitur ex pecunia traiecitia (b) quæ transmare vehitur, periculo creditoris (c) terrestre improprium, in iis casibus quibus citra navigationem, pecunia datur periculo creditoris. (d)

(a) Nauticum illud dicitur quod de nautica, sive traiecitia pecunia præstatur, l. 3. de naut. fœno. l. fœnorari ibidem Cujaci in para. de nautico fœnore quapropter si alia conditione pecunia credita sit, nauticum propriè dici haud poterit, (b) l. 1. de naut. fœno. unde facile colligere licet & defendi potest, ea propter olim hoc fœnus in infinitum stipulari potuisse, ut tradit Paul. 2. recep. sent. 14. cui adhærent Vult. 44. n. 98. Cujac. 5. obs. 38. Duar. 2. disp. 3. licet in utramque partem, ante l. 26. Co hic. Constitutionem disputare, & misere se, DD. torquere dicat Bachov. ad Treut. itaque ex conventionem idem esse posse dicit, Treut. disp. 3. part. 2. Th. 2. jus fœnoris terrestris quod maritimi l. 2. Co. de naut. fœn. Sichar. ad rubr. ibi. n. 3. Vult. d. cap. n. 94. (c) ut cum pecunia datur conditione adjecta qua existente, creditor cum augmento pecuniam recipiat, ea autem non existente, augmentum cum pecunia credita amittat l. 5. de nauti fœn. Donell Cod. pag. 34. dissentit. Cujac. 6. obs. 28. Hottom. 1. obs. 27. (d) notandum tamen huic nautico fœnori proprio, & Mediterraneo improprio causas illas quæ in aleæ speciem cadunt, adjungi non debere, cum sola pecuniæ recipiendæ spes, sine ullo alio negotio, civili aut ex fortuito Thefferarum jactu, aut punctorum conversione, ut chartis, nobis suspenditur, per ea quæ tradit Donell. d. loco. Cujac. 6. obs. 28. alique DD. ad d. l. 5. de Nauti fœno. lic. dissent. Hottom. pag. 108. obs. 12.

THESIS V.

Debentur itaque usuræ tribus ex causis, ex conventionem, quæ pactum est, vel stipulationem, & ex mora, ex stipulationem debentur usuræ in omnibus, tam bonæ fidei, quam stricti iuris iudiciis (a) ex nudo pacto debentur quidem naturaliter, (b) attamen quia nudum pactum, de iure civili (c) actionem non producit, ideo peti non potest, impedit autem soluti re-
peti-

petitionem, nec sorti imputatur, neque ignorandum usuras etiam ex pacto deberi tam indirectis bonæ fidei, quam contrariis iudiciis, (d) si id incontinenti adjiciatur. (e)

(a) l. 1. & 3. Co. de usu. l. 10. §. 10. manda. l. 31. 41. in fine ff. de usur. nec dissent. Vult. c. 44. n. 81. Borcholt cap. 3. num. 3. ita tamen, ut intra quantitatem legibus præscriptam consistat d. l. 31. 41. Donell. ca. 3. pr. l. 26. & de usu l. 26. §. 1. de condict. inde. aptissime hic quæritur utrum usuræ, ex pacto incontinenti adjecto, in hisce stricti juris iudiciis debeantur, & licet Treut. disp. 3. part. 2. Thes. 3. l. 6. hoc omnino neget arg. l. 24. presc. verb. l. 1. 31. Co. de usu. l. 10. §. 2. mandat. Sichard. ad l. 4. Co. de usu. nos tamen cum dissentientibus affirmabimus Hottom. illu. quest. 37. Duar. hic cap. 2. Ale. ad l. usura. 121. de verb. sig. n. 6. id quod probat Cujac. 11. obs. 37. n. 15. (b) l. 5. §. 2. de solu. l. 1. de pac. l. 7. §. ait ibi l. 3. Co. de usu. idem statuunt Anton. Fab. ad l. 7. §. 4. de pact. VVesenb. Hottom. Borcholt. Cujac. Mynsing. ad §. Instit. omnis de verb. oblig. l. 28. ff. de re jud. §. 18. cui contrariari videntur Cannan. Giph. sentientes pactum nudum ne naturalem obligationem producere, (c) non opus hic citatione ullorum auctorum, aut legum, cum hoc ex præcedentibus satis liquet, (d) placet & hæc sententia Cujac. 8. obs. 10. Borch. hic cap. 3. nec leges probantes desunt, l. 4. de pac. l. 53. de V. O. l. 7. & 5. de pac. l. 3 & 4. Co. de usu. l. 10. Co. de pact. l. 24. 26. §. 1. de pos. l. 34. §. 1. mand. (e) pacta enim incontinenti adjecta, contractus insunt, ipsique legem, & formam addunt, ad producendam actionem civilem efficacem 67. §. 5. & 6. de pac. l. 13. Co. eodem quid verò si ex intervallo adjiciatur pactum bonæ fidei contractui, anne id ad usuras petendas proderit negandum, puto per l. 7. §. 1. de pac. & l. 3. Co. de usur. quod nam vero dicatur pactum incontinenti adjectum, non desunt qui in utramq; partem disputant, nos dicemus illud esse quod in momento contractum jam perfectum, & absolutum subsequutum est, per l. 40. de reb. cred. l. 4. de pac. l. 7. §. 5. eodem illud & in hac Thesi breviter exponendum puto, num usura pacto promissa, sorti, etiam per retentionem pignoris exigi possit, affirmo si modo expressè pignus pro usuris datum sit, alias nego arg. l. 4. Co. de usu. & l. 22. eodem si tamen pignus initio pro sorte & usura obligatum, & acceptum, sit non poterit retineri pro majoribus postea pacto conventis, l. 4. Co. hic & ibi Sichard. Donell. l. ulti. Cod. etiam ob chyrographum. Ex mora igitur in stricti juris iudiciis neutiquam debentur, si conventio nulla præcesserit per dd. U.

Cujac.

Cujac. 4. obs. 22. Imo & hoc si quis per pactum promiserit usuras maiores & pluribus annis solverit is tamen eas in posterum præstare non cogitur sicque onus probandæ negativæ usuras non deberi in debitorem transfertur l. 28. Co. de pac. Donell. cap. 3. de usu. l. 7. Co. de usu. hisce accedit l. 1. Co. de sic. m l. 13. l. 12. hic l. 28. Co. eod.

THESIS VI.

Dictum modo de usuris simplicibus, stipulandis, an autem usuras usurarum pari modo, stipulari possimus omnino improbo, (a) licet quidam velint eas in sortem redactas, per omnia promissas deberi. (b) Non autem pactum tale licito contractui, adiectum totum contractum vitiat, & nullum facit, sed pro non adiecta habetur, (c) cuius exemplo idem dicere placet, de annuis fructibus, per emptionem acquisitis. (d)

(a) quas & jure veteri prohibitas fuisse constat, ut dicit l. 28. Co. hoc tit. l. 29. eodem l. 20. Co. ex quib. caus. infam. l. 26. §. 1. de condict. indeb. l. 2. & §. de admin. tuto. l. 27. de re jud. si quidem cum usura vicem pœnæ obtineat pœnam pœnæ præstare iniquum est, quapropter usuræ consumptorum fructuum non debentur, arg. l. 5. de usu. l. 34. eodem cui non obstat quod personis domus locatæ, usuræ debeantur ex mora per l. 17. §. 4. hoc tit. l. 27. Cod. loca. hoc casu enim locationis pensio, principale est quod in petitionem venit, absurdum enim esset eandem esse sortem & usuras, cum natura non patiatur, ut eadem sit causa principalis, & accessio, deinde usuras vicem fructuum obtinere apparet, ex l. usuræ ff. de usuris natura autem fructus fructuum non parit, nec potest, accedit quod taliter non exigua fraus legi fiebat, (b) Iure veteri non omnino illicitum hoc fuisse probat, Bacht. per l. 1. C. Theod. de usuris rei jud. verum inhibuit hoc Iustinianus l. 3. Co. de usur. rei jud. & d. l. 28. Cod. de usu. Novell. 13. ut usuræ usurarum penitus deleantur, & usuræ semper manent usuræ nec ullo modo incrementum illis sed tantum sorti antiquæ accedat (c) l. 26. §. si quis de condict. indeb. l. usuras l. placuit Co. de usu. l. 3. §. si. de ann. leg. Donell. d. cap. 4. Gail. 2. obs. 4. ubi dicit utile per inutile non vitiari, maxime si utile ab inutili separari possit tex. in cap. uti de Reg. Iu. l. 1. §. sed mihi de V. O. quemadmodum in simili in donatione supra debitam, quantitatē absq; insinuatione facta receptum & constitutum legitur text. in l. sancimus §. 1. Co. de donat. (d) l. 26. vers. si quis Co. de usu. ad quod

quod prævia necessaria hæc est quæstio, utrum licitum sit, emere annuos fructus. Respondeo quod sic, cum conditione, ut si contractus ineatur, absque ulla repetendi facultate ex parte emptoris, per *noviss. consti. Impera in tit. Von Buchetlichen Contracten §. vnd Mag. erectas Aug. Vin. anno 1548. ita Gail. 2. obs. 4. Myns. Covar. caterique alii.*

THESIS VII.

Cum itaque Imperator Iustinianus, certum usuris modum præscripserit, (a) operæ præteritum duximus, nihil antiquitatis prætermittere, & obiter attingere, tempore antiquissimo usuras centesimas frequentissimas fuisse, (b) post vero in certis casibus, paucissimis tamen permittas, (c) cum illustribus trientes, vilioribus semisses, Mercatoribus besles determinatæ sint. (d)

(a) *toto tit. ff. & Co. de usu. Novell. 32. 72. 121. 131. 138. 160.* (b) hancque legitimam quantitatem sancione, juris veteris fuisse constat, *ex l. 8. Co si cert per. l. 38. Negot. gest. l. 4. §. fin. de Naut. fæno l. 34. de admin. tut. Borcholt cap 4. n. 3. Donell. cap. 4.* ideoque centesimam vulgo dictam esse, quia singulis mensibus, præstabatur centesima pars sortis, itaque duodecim, in annum pro centum solvebantur, nam tunc centum mensibus hoc est octo annis, & quatuor mensibus, usuræ ad sortis magnitudinem ex crescebāt, *Budaus li. 1. de asse. Alc. l. 1. dispunet. c. 1. l. 2. parerg. c. 23.* solebant, quippe Rom. non in singulos dies, aut annos, verū in singulas calendas, usuram stipulari, aut pendere, hoc est in primum cujusque mensis diem, *l. 40. ff. de reb. cred. l. 126. §. 1. de V. O.* frequentissima enim talis usura fuit, *arg. l. ult. Cod. de usu. rei jud. l. licita de reb. cred.* (c) videre hoc est ex superioribus quæ diximus de trajectitia pecunia, *l. eos 26. Co. de usu. vers. in trajectitiis huic adijunge Nov. 110.* idem & volunt de eo qui post tempora rei judicatæ non solvit, *tot. tit. cod. de usur rei jud.* quod tamen notandum, pecuniæ rei judicatæ ex causa debitæ, usuras centesimas deberi, non ex stipulatione, sed ipso jure sine ullo facto creditoris, intelligendum & hoc de pecuniis privatis, vel publicis, tutorum, curatorumque, in usus suos conversis, (d) *l. 26. Co de usu.* illa etiam ratio reddi haud dubiè potest, cum usura sit constituta ad id quod creditoris interest, compensandum plus autem interesse videtur Mercatorū, quam illustrium virorum, *Gail. 2. obs. 6. n. 6.* ubi vide quādo scilicet damni emergentis, & lucri cessantis, ratio habēda sit, adde *l. fin. de per. & commo. Rei Ven. l. 2. de eo quod cert. lo.* attamen cum exulcerato hoc ævo, tam summæ conditionis homines, (secundum hoc quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ) divitiarum sint cupidissimi, à superiori regula

B

la •

la singulari favore, exempta est Ecclesia, cui permissum, creditori tantum 3. ad 100 loco usuræ pendere *Novell. 7.* sic & singulari gratia, constitutum est in agricultura, ut quæ Reipub. ad modum sit necessaria ab agricolis usuræ non majores, quam trientes accipi possint, id est, in centum quotannis 4. *Novell. 150.* quid si Bessales stipulatus per aliquot annos quincunces acceperit illis majores deinceps petere non potest, *l. 3. Co. hic.* limitandum tamen nisi majores poposcerit, aut eas tanquam rectè stipulatas sibi solvi patiat, in annuis redibus aliter volumus *Borch. c. 4. n. 52.* favorabiliores hi enim sunt, hodie in novissimis Imperii constitutionibus quinq; annua pro singulis centenis approbantur in des Reichs Abscheid & c. Anno 1500. 1539. 1548. 1577. *sub tit. Von wucherlichen Contracten / Jährlichen Zinsen und Renten / cap. 107. §. fin.* quanquam Imperator, in hæreditariis suis & Regni Bohemæ provinciis permittit sex pro centum in annos singulos.

THESIS VIII.

Præscriptos hosce à Iustiniano Imperatore, terminos, nullo casu transgredi oportet, nec ultra eos vel minimam pœnam, sibi stipulari permissum est, (a) quam obrem non immerito dubitari posset, quid iuris in pacto antichreseos (b) statuendum utrum istius eadem ratio, quæ de usuris habenda (c) si fructus definitam usuræ quantitatem excedant.

(a) hujusmodi enim pœnæ in stipulatio in fraudem legis facta videtur per *l. 44. de usu. l. 15. & Sichard ibi Cod. hoc tit. Iulianus §. ibidem de actio. empti* (b) qui contrahitur cum ita pignori domus, vel fundus opponitur, ut in usuras creditor aut locando, aut ipse percipiendo habitandoque fructus lucretur ut testatur *Marti. 1C. in l. si is qui bona §. 1. ff. de pign. & hypoth. Alciat. dispunct. li. 2. cap. 3.* inquit antichresin pignus esse quod ita datur ut ejus fructum pro usuris sibi computet creditor & sic observanda differentia inter pignus & antichresin quod creditor utatur antichresi, pignore non item, sed fructus in re pignorata, percepti in sortem computari debeant, per *tex. in l. 1. & 2. Co. de pign. acti.* (c) quanquam *Cujac. 8. obs. 17.* duplicem esse antichresin & inter tacitam & expressam, sentiat, distinguendum hancque, legitimam, usurarum modum excedere posse, illam vero servari debere, dicat, per *l. 8. ff. in quib. caus. tacit. pign. contr. & l. 17. Cod. de usur.* mihi tamen sententia *Donelli* veritati magis consona arridet, qui conditionem antichreseos inspiciendam dicit, ut si fructuum pretium incertum, sit legitimum modum

exce-

excedere possit, si vero proventus fundi annuus certus sit, & constet, accepta ultra legitimum terminum in sortem computari debeant, *l. oleo Co. de usu l. ex conducto 15. §. 2. & 3. ff. loca l. secundum de Reg. Ju.* Illud notandum ex facta oblatione, sortis creditorem fructus amplius non lucrari sed in sortem imputare *ex l. ex prediis Co. de usu. itemq; ex Novell. 32. 33. 34.* si nobis res sit cum agricola, possessionem ejus, aut ovium, aut maancipiorum antichresin facere non licere.

THESIS IX.

Cum itaq; ultra legitimum modum stipulari, & excedere omnino prohibitum illicitumque sit, de pœna transgressoribus constituta, videamus, placet igitur cum Iustiniano (a) ut excedens perceptum, non tantum debeat sorti imputare, aut restituere, (b) sed præter id quod officio judicis, (c) justa infamia notetur, (d) à communione alterius repellatur & sacra sepultura privetur. (e)

(a) vide des Reichs Abscheide de anno 1530. 1539. 1548. 1577. sub tit. Von wucherlichen Contracten (b) per *l. 9. & 26. Cod. de usu. his adde l. 26. de conduct. indeb.* imo instrumenta majores usuras continentia, non solum non mandabuntur executioni, sed vigore constitutionis de anno 1500. quarta pars sortis, in commissum cadet, addit *Gail. 2. obs. 4.* Noterium talia instrumenta conficientem perjurium committere & officio privari, per *text. in l. jubemus §. fin Co. de testa. text. in cap. 1. §. callidus vers. scribat de prohib. feud. alien.* (c) de illo enim non est exigua contentia utrum ille Ecclesiasticus, aut secularis, esse debeat, statuere enim omnes Canonistæ videntur, quod cum crimen improbi fœnoris sit Ecclesiasticum à nemine, nisi à judice Ecclesiastico dijudicari, & coerceri possit per *c. 1. cum seq. cap. præterea paracionis de usu.* ubi improbi fœneratores Clerici officio suspenduntur, Laici vero excommunicationis censura puniuntur Iulius clarus distinguere conatur nos autē salva, aliorū sententia mixti fori esse, declarabimus (d) controversum est num ipso jure vel judicis officio hoc fiat, posterius probop *per l. 20. Co. de hi qui nota infra. & l. 20. ex quib. caus. infra.* (e) modo sit usurarius manifestus & in hoc peccato decedat, *cap. quia in omni extra de usur. cap. quanquam de usu in 6.*

THESIS X.

Illud controversum nemini, si fidejussor, qui creditori solutionem urgenti pecunia aliunde accepta sub graviore præfatae quâtitatis usura satisfecit, contra principalem in tantum regressum habeat, & utrū debitori in bonis creditoris, plus licito exigentis, pro restitutione superflui competat privilegium tacitæ hypothecæ, negamus utramque. (a)

B 2

(a) ad

(a) ad primum ratio inducit, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare, *cap. damnnum de Reg. Ju. in 6. l. quod quis ff. eodem* potuisset enim fidejussor inutiliter se obligatum, ope exceptionis defendere imputat sibi, quod jus ignorarit cum quilibet hoc scire debeat, *l. 9. de ju. & fac. ignorantia. add. l. 29. ff. manda.* ad secundum nemini competit privilegium tacitæ hypothecæ, nisi ipsi sit specialiter lege permissum, cum autem hoc non sit, ergo. **THESES XI.**

Ex duabus itaque prædictis causis, quibus usura peti potest pacto, nempe & stipulatione restat, ut nunc de tertia mora scilicet quæ frustratoriam, (a) solvendi debitoris, & recipiendi, creditoris, dilationem, (b) appellare placet, agamus debentur usuræ in bonæ fidei judiciis, ex mora ideoque, & in pecunia ea lege deposita, ut tantumdem, nobis reddatur, in genere, (c) in stricti juris judiciis ne quidem à tempore litis contestatæ. (d)

(a) rectè definitur frustratoria, etenim non omnis dilatio debiti est mora, nec omnis, qui debitum differt, protinus moram facere dicitur, *l. sciendum §. 21. de usu. & l. cum quidam §. stipu pill. eod.* quapropter illam tantum dilationem dicimus, quæ fit sine justa causa, *l. 3 §. ff. mand. l. 3 §. fin. de usu.* (b) ratio est evidens non tantum debitor in justè solutionem differendo, sed & creditor, eam oblatam oportuno tempore, & loco recusando moram contrahit *l. soluturus ff. de solut.* (c) defenditur id à *Duar. c. 3. hic. conn. 7. commen. 4. Vvesenb. par. n. 5. de usu & quanquam quidam sine qui taliter depositum in mutuum transire dicant, his tamen non subscribo, cum contrarium plerique statuunt, propter id, quod licet terminos depositi excedat, non tamen transire in aliam speciem contractus, (d) l. 1. Co. de condict. indeb. Borchol. c. 3 n. 5. Novell. c. 3. Duare. c. 2. Cujac. 14. obs. 22. & 7. & licet usuræ fructibus comparentur, cessat hæc regula in proposito casu, non enim essent fructus favorabiles usuris, si usuræ in stricti juris judiciis equè deberentur à tempore litis contestatæ, ac fructus, cum usuræ odiosæ sint, & in legibus restringendæ.*

THESES XII.

Debitor moram committit vel ex re, (a) quam DD. irregularem & impropriam appellant, quæ fit solo tardæ solutionis tempore, sine interpellatione, vel quæ magis autoritate juris, quam facto subsistit, (b) vel ex persona (c) cum interpellatus non solvit sine justa recusandi, (d) causa, quam regularem & ordinariam volumus.

(a) per *sex. in l. sed etsi 23 §. 1. ff. hoc tit. Godof. ad t. 32. ff. hoc tit. Vult. r. jur. pru. c. 44 n. 4. & seqq.* (b) quod clarè relucet in favore ætatis, ut in minore *l. in minorum 3. Co. in quib. caus. in integ. resti. ubi Cujaci par. n. 3. vel rei ut libertatis, l. cum vero 26 §. 1. & 4. ff. de fide comm. liber. ut dotis, l. fin. §.*

ratere Co. de jur. dot. vel privilegio personæ & rei, l. cum quidam 17. §. 5. & ff. de usur. nonnunquam odio personæ inducitur, l. 9. Co. de furt. l. 1. eo quod metus causa. Non parū hic subtilis & intricata occurrit quæstio an iur. dies, ita & conditio constituet, quem in mora, cum quoscunque effectus mora sine interpellatione contracta in jure producit, eisdem & hæc solvendi cessatio operetur, negativam amplector, cum Alber. in l. quod te mihi §. si cert. pet. ratio est in l. 68. §. fin. ff. de leg. 1. quia sciebat diem venturam, quæ cessat in conditione, quæ incerta est atq; ita primo existente conditione, obligaretur cui consequens esset, ut eodem in momento obligaretur, & in mora constitueretur, quod absurdum est, si tamen conditio pendeat ex facto debitoris, non dubito quin moram contrahat, quia non potest ignorare ipsam extare, arg. l. suus quoq; 4 ff. de hære. inst. & l. Licin. ff. quib. ad liber. proclam. non licet, Alber. in mora. n. 20. Cyn. in l. Minorū 7. 3. in Co. in quib. caus. restit. in integ. idem statuimus de juramento, sine interpellatione facto, quamvis cōmunis DD negantium sit opinio nō tamē creditor statim cū sacco parat⁹, esse debet (c) Regularis hæc & propria est, per tex. in l. mor. eo enim quo quis debitor est, in mora nō cōstituitur, sed quia oportuno loco & tēpore interpellatur. Alber. l. 32. ff. hoc tit. sed quibus verbis interpellatio fieri debeat quæritur. R. verbis directis, petendo creditorem uti debere cum inductio moræ sit actus odiosus, ideoq; in benigniorem partem debeat restringi, interpretatio arg. cap. odia 15. de reg. ju. l. quod te mihi ff. si cert. pet. Albert. ibi. n. 9. & l. mora. n. 17. posset tamen fieri ut creditoris signis, & nimia ejus egestate debitor sciret, quo casu in foro conscientia sine ulla interpellatione obligabitur, uti dicit Moli. tract. de usu. (d) per tex. in l. sciendum 2. cum seqq. hoc tit. l. 42. ff. de R. I. utrum vero difficultas hisce causis annumeranda sit disputatur, affirmo per l. 2. ff. si quis cautio describit autem Covarr. tom. 1. dere. le. cap. quamvis in 6. par. §. 5. veram eam difficultatem, quæ promissorem, pactum, & promissionem servare impedit, etiam exhibita per eum possibili secundum vires diligentia.

THESIS XIII.

Ordinariam porro hanc & regularem, quæ per interpellationē hominis contrahitur rursus duplicem judicialem, (a) & extrajudicialem, (b) statuimus, hancq; iterum in expressam, (c) & tacitā dividimus. (d)

(a) quæ scilicet per litis contestationem contrahitur, id quod probat, l. 1. & 2. Co. de usu. & fruct. leg. & fideicom. ubi advertendum tamen si legata, & fideicommissa stricti juris judiciis annumerentur hoc in proposito bonæ fidei negotiis comparari usurasque post mortem



peti posse, l. 1 Co. de pet. here. l. 87. §. 1. ff. de leg. 2. Borch. c. 3 n. 15. Paul. 3. sent. 8. Donell. cap. 3. Communis quidem est sententia, quod actio ex testamento, stricti juris sit, cum revera ex nulla cōventionē descendat, bonæ fidei naturam tamen, in quibusdam imitetur, ut quoad fructuum præstationes & usurarum illic enim agitur ex professo, de his autem ex mora l. 34. de usu l. 3. eo in quib. caus. in integ. resti. (b) quæ fit vel per ipsum creditorem vel alium ejus nomine, quod quis enim facit per alium ipse fecisse videtur, per l. 118. de reg. ju. l. 39. ff. de negot. gest. l. 26. de solut. l. ita autem §. gestit de adm. tutor. l. 24. §. 2. hoc tit. (c) intelligenda hæc in puris obligationibus in quibus tantum unica interpellatione interposita creditor, admonet debitorem, de solutione facienda vide l. 23. §. 1. ff. hoc tit. l. 23. l. 122. §. scia ff. de V. O. l. 87. §. 1. de leg. 2. l. 3. §. 1. quod vi aut clam. (d) puta quando in diem contrahitur obligatio, arg. l. 12. Co. de contrah. stip. l. 2. Co. de jure emphiteut. l. 35. §. 2. de V. O. Donell. de mora. c. 2. l. 18. de usu. tali casu cum dies pro homine interpellat, alia interpretatione opus esse, minime arbitrator omnia autem supradicta limitanda sunt, si nulla sit justa recusandi causa, oportet enim habere justam causam, quæ si deficiat, debitor moram non facit, l. 21. 24. hic l. 39. de solut. l. uni Co. ubi fideicommissum pet. Erit autem liber in foro polo debitor nec morator habebitur si bona fide creditorem in dilationē consentire arbitretur, nec ad restitutionem damni tenebitur, nisi de super conventum Leon. Lessi in tract. de jure & just. cap. 20. dub. 5. attende ne huic tuæ opinioni nimium tribuas non in elegans hic occurrit quæstio utrum conditio, pro homine appellet, quod cum prima fronte affirmandum esset per l. 59. & l. 60. ff. de V. O. subscribemus tamen Donell. contrarium tuenti, in tract. de mora. c. 3. & l. 9. de V. O.

THESIS XIV.

Hujus autem moræ, effectus est usuræ, & fructus parere (a) obligationem perpetuare (b) omnemque casum rei, in debitorem transferre. (c)

(a) arg. l. 8. de eo quod certo lo. l. 22. si cert. pet. l. 38. ff. de usu. & mo l. 32. §. 2. eodem l. usura 2. Co. de pos. l. 13. Co. hic neq; dubitandum, quod moram principalis debitoris obligatio fidejussoris, perpetuetur, Bart. & DD. in l. fidejussores 68. ff. de fidejuss. augeri tamen non volumus, nisi in omne id quod nomine interesse veniat, vel in totâ causam sese obligarit l. quero 54. locati. Albert. d. l. mora n. 37. Coras. 2. miscell. 12. n. 9. Treut. diss. de condict. ex lege Thes. 5. li. E. (b) l. 5. si cert. pet. l. 108. §. 11. de leg. 1. l. 47. eod. l. 23. 24. 82. de V. O. Treutl. hic. Thes. 8. lit. A. præcipue tamen casum fortuitum, quo

quo post moram, res vel deterior facta est, vel omnino perit, cum alias mora non commissa casum fortuitum non sustineat, nisi expressè de eo conventum sit, *l. 6. do. de pig. acti. l. 23. de reg. ju.* ideo quidem ne mora, quæ delictum est alii noceat *l. 173. de reg. ju.* nec moratori profit *l. 37 ff. mand.* limitandum tamen, ut si res eodem fato peritura fuisset, si morâ non contracta domino fuisset restituta, aut creditori soluta periculum fatale ad moratorem non spectet, sed ad creditorem pertineat *l. 4. ff. de pos. ex conuerso* si debitum oportuno tempore & loco, oblatum accipere recuset, moram, periculum rei in eum transfert *Hotto. illus. qu. 30.* ubi in fine rectè distinguit inter frustratorem, qui mala fide recusat, & cunctatorem, qui justam se recusandi causam habere putat *arg. l. sciendum 21. & seq. ff. hoc tit.*

THESIS XV.

Haftenus satis disceptatum, quatenus mora ex persona & ex re contrahatur, ejusdemq; effectus inde liquere arbitror, superest, ut quibus modis purgetur, & emēdetur, paulisper examinemus, primo purgatur (a) reintegra existente, (b) oblatione debitoris, (c) obsignatione depositione, (d) voluntate creditoris (e)

(a) idque in omnibus ferè obligationibus, ex bono & æquo, *l. 91. §. 3. de V. O.* (b) aliud dicendum esset, ea perempta nisi & similiter apud creditorem fuisset peritura *l. quod te, si cert. per. Soare. n. 223. his adde. Iaso. deci. furt. Cart. Bologn.* siue sit obligatio dandi, siue faciendi usque ad litis contestationem, post litis cōtestationem etiam cum pars adversa præcisè factum exigit, nihil enim interest, utrum hæc stipulatio pœnam vel diem adjectam habeat, sin autem utramque contineat purgationem non admittimus, neq; post litem contestationem, neq; ante, ut docet *Ant Faber in rationalibus ad l. 8 si quis caut. Borchol. in tract. de V. O. cap. 7. & 8. n. 189. Donell. Giph. Duare. ad l. 84. de V. O.* (c) puta oportuno loco, & tempore facta, quod diserte probant *l. 91. §. sequitur & l. interdum §. ult. de V. O. l. 2. ff. de in jus. voca.* (d) *l. fin. de usur. pup. l. 28. §. 1. de administ. tut. l. 1 §. fin. de usuris* (e) remittentis moram, *l. 32. hic l. 29. §. fin. Donell. de V. O. vel eandem rem novandi animo, à debitore stipulando, l. 8. ff. de Novat. & deleg. l. 14. eodem ratio autem hujus non obscura est, cum veterem obligationem in novam transtulerit, creditor, Donell. in tract. de mora, cap. 8.*

THESIS XVI.

Excussum satis prolixè quomodo usuræ currant, tandem restat indagare

gare quomodo currere desinant, ac primo quidem, extincta obligatione idque beneficio legis, (a) vel hominis facto, ut vera solutione sortis debite, (b) vel oblatione, consignatione, depositione sortis plenarie facta, (c) vel demum si usuræ sortem æquarint. (d)

(a) l. 1. § fin. de usur l. fin. Cod. de usu. rei jud. l. 26. Co. de usur. Donell. de usur. cap. 5. (b) l. eos 26. Co. de usu. ubi non modo sancitur expresse, quod sublata, per præscriptionem temporis longissimi, obligatione, & actione principali, de sorte, etiam tollatur obligatio, & petitio usurarum verum etiam, additur hujus rei ratio perspicua, quod sublata principali obligatione, sortis usuræ deberi non possint, usurarum enim obligatio est accessio sortis, principali, autem causa non subsistente nec accessiones subsistere queant, l. cum principalis ff. de reg. ju. l. 2. ff. de pecul. l. in omnibus ff. de solut. sed num & ficta solutione extinguatur, puta per acceptilationem, non dubito §. i. instit. quib. mod. tollat. obli. item & compensatione, l. 4. cum alter ff. de compens. l. 4. Co. eodem. (c) oblatione scil. facta, presentibus testibus, l. 6. & 21. Co. hic. consignatione cursum quoque, & depositione, sine quibus sola oblatio, non sistit usurarum ita fiet, ubi iudex deponi mandarit, si que tota fuerit deposita l. 41. §. 1. ff. hoc tit. d. l. penult. & 4. in fin. hoc tit. Borch ca. 7. n. 19. & seqq. Alc. parerg. 33.

COROLLARII, LOCO, HÆC PAVCA addere lubet.

I.

Non inutiliter hic queritur, utrum annui redditus, æquè ac usura longi temporis intervallo præscribi possint, partem negativam tuebimur cum hi favorabiliores usuris sint Gail. 2. obl. 73.


II.


Præterea non video, cur Iudæis majus competat privilegium, quam Christianis cum ipsis ultra modum legitimum centesimas sine ulla pœnarum formidine, stipulari licitum sit, quod tamen per se sua natura improbum est, sed cum de hac consuetudine in eisdem asserendum, quod de consimili prava & iniqua conditione, acquiescimus cum patientia tot illustrium personarum.

III.

Montes pietatis, ut licitos, contra Cajetanum, & Sotum, Sylvi, aliosque defendimus, atque ab omni excusamus **VSURA.**

F I N I S.





No 1165^a 8

ULB Halle

005 713 331

3




10 17

10 17

10 17

03. 2001 Bd.





M
De
...
lit
...
De
lit
ex





16 49 57

18.

18

DISPUTATIO ORDINARIA

DE

VSVRIS ET MORA

TAM EX IVRE CIVILI,
quam Canonico, desum-
pta.

QVAM

*DIVINA, FAVENTE GRA-
tia, auxilio, Deiparæ Virginis.*

Sub Prasidio Nobilis Clariss. & Consultiss. Viri & D.

HERMANNI HERMES, SS. LL. LICENTIATI,
Serenissimi Archi-Electoris, Curia, Officialis, assessoris
Facultatis, Iuridicæ, Dictatoris dignissimi,

IN CELEBERRIMO ET PERANTIQVO
Vbiorum Iuridico Auditorio.

Publico certamini discutiendam perhibet

HENRICVS MEYER MONASTERIO
Westphalus. Anno restauratæ Salutis
1649. loco & hora consueta ad diem
4. Martij.

COLONIAE AGRIPPINÆ,
Excudebat GISBERTVS CLEMENS, Anno 1649.

13 18